

Q. K. 357, 36.

T. 209

X 1904119



DEI & Superiorum Gratia
DE
CATARHACTIS
SEU
FRAGMINIBUS NUBIUM

In Academia Lipsiensi publicè disputabunt,
Fratres

M. CHRISTIANUS Weise /
ET

JOHANNES GEORGIUS Weise
Zittâ Lufati.

ad d. n. Augusti Anno M DC LXVI.
H. L. Q. S.

LIPSIÆ,
Typis Viduæ Henningi Coleri.



Q 22



VIRIS
MAGNIFICO, NOBILISSIMIS, AM-
PLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,
PRUDENTISSIMIS

INCLYTÆ
ZITTAVIENSIUM

REIPUBLICÆ
PATRIBUS CONSCRIPTIS
PATRONIS AC PROMOTORI-
BUS SUIS MAXIMIS

HAS VITÆ ACADEMICÆ PRIMITIAS
IN STUDIORUM SUORUM COMMEN-
DATIONEM

FAVORISQUE PUBLICI AUGMENTUM,
SACRAS JUBERE

DEBUIT, VOLUIT

JOHANNES GEORGIUS Weise.



C. D.

Ræterierunt septimanæ non ita multæ, ex quibus aures nostras vulneravit nuncius, Patriam dulcissimam eodem tempore sub aquarum laborasse inundationibus, quo ignea Spiritus Sancti effusio communem Christianis Ecclesiis imperasset lætitiã: Neque eam unius vel alterius tantum agri fuisse calamitatem, sed de lapsam gravissimæ molis nubem circa montana Bohemiæ primum desævisse, postea per ruptis saxorum & silvarum repagulis, majori per valles impetu, in Lusatiæ planitiem suos fluctus exposuisse, atque ibi Iræ divinæ, non saltem desperata Colonorum vota, aut misera tuguria, aut pecorum greges, verum etiam multorum hominum vitam immolasse. Ista cum ad nos perferrentur, jam fueramus solliciti, quo imprimis specimine Mæcenatibus nostram sedulitatem probare, nobisque ad ulteriorem promotionem iter aperire possemus. Confestim igitur hanc arripuimus historiam, certa spe trecti fore, ut ejusdem accurata contemplatione, & officio satisfaceremus. & multorum curiositatibus pro virili subveniremus. Ea enim humanæ mentis est conditio, ut de stupendis Naturæ miraculis citius non cogitet, quam ubi res ipsis sensibus se insinuat, & publica quasi voce attentionem provocat. Ergo si annis ab hinc duodecim, nihil nisi eclipses solares strepuerunt librariorum officinæ; si nuper de Cometis dissertationes calefecerunt tantum non omnia Typographorum prela, fas quoque sit breves paginas præsentis negotio consecrare, quippe quod si æquè portentosum aut catholicum non est; periculo tamen & singulari omine non caret. Det DEUS ut omnia fluant FELICITER.

T H E S I S I.

Catarhacta, quæ latino nomine fragmen nubium, Græco ἐζυδεΐα, Germanico ein Wolkenbruch dicitur, sua ducit incubula, non tam à Græco καταρήγνυμι, ut, vult *Cornel. à Lap.* ad *Gen. cap. 7. v. 11.* quam à καταείσω, quod fractionem seu impetuofam deturbationem significat, & præcipuè iis locis tribuitur, ubi flumina per montium asperitates in profundum se præcipitant, id quod Rheno prope Schafhusam contingit, *Münster. Cosmogr. lib. 3. p. 387.* Nilo autem aliquoties accidit, ita quidem ut testante *Seneca Ep. 56.* cuidam genti hæc una fuerit causa, urbem suam transferendi, quia fragorem Nili cadentis ferre non potuit. confer *Strab. lib. 17.* Postea ob nimiam similitudinem nubium quoque rupturas eodem vocabulo denotare placuit. Alia vocis est significatio, cum pro cancellatis portarum vel fenestrarum foribus accipitur, quo in sensu Hebraicum קַטָרֹת *Gen. 7. v. 11.* Latinus textus *Catarhactam* nominat, ubi nimirum dicitur, Deum aperuisse catarhactas five fenestras Coeli, sævumque Diluvii fecisse initium. Licet enim apertio catarhactarum post se traxerit innumera nubium fragmina, non tamen est, cur diversas ejusdem vocabuli significaciones, in unum, velimus confundere.

II. Est autem Catarhacta, si ipsam rem consideremus, quando integra nubes, per subitam & copiosam effusionem simul & semel in terram deprimitur, magnasque inundationes & eluviones efficit, sive istud contingat in terrestri planitie, sive etiam in altitudine maris.

III. Nec desunt in historiis exempla. Ut enim prætereamus casum, cujus in præmio facta fuit mentio, quis ita intactam reliquit Sacram Scripturam, quin universalis illius Cataclysmi admiratus fuerit historiam, ubi conspirantibus in exitium humanum & inferis & superis regionibus, non solum è terræ visceribus, sed magis etiam è tractibus aëreis tanta prorupit aquarum copia, ut vel altissimi montes sua capita quindecim cubitos infra aquas deprefferint. Præsupponimus enim, quod nostri Theologi de Diluvio Noachico communiter docent, nec curamus inanes Præ Adamitarum speculationes, quibus evincere conantur, cataclysmum Palæstinæ fines vix ac ne vix quidem fuisse egressum, *vid. Præ Adamitar. Hypothesin. part. 1. lib. 4. cap. 7.*

seqq.

seqq. Atque hinc si aliquis aquarum istam violentiam extra Naturæ Sphæram velit constituere, inspiciat decantatissimas in Poëtarum scriptis inundationes. Ogygis in Bœotia, Deucalionis in Thessalia &c. quarum tamen descriptiones, quia confusam historiæ sacræ redolent notitiam, omni ex parte fidem non inveniunt. *vid. Natal. Com. Mythol. lib. 8. cap. 18. fin.*

IV. Notabile exemplum occurrit apud Evagrium *hist. Eccles. lib. 2. cap. 14.* quod his verbis recenset: *Priscus memorat, tam ingentem pluviam Constantinopoli & in Bithynia extitisse, ut ad tres aut quatuor dies, aquæ instar fluviorum de cælo præcipitarentur, & montes illarum violentia in planitiem deprimerentur, quin etiam sic obruerentur pagi, ut in exitii discrimen venirent, in quibus Boana lacu, qui non longe abest Nicomedia, ob crebram sordium cujusque generis materiam in eum congestam, nonnulla fierent insule.* quo cum consentit Nicephorus *lib. 15. cap. 20.* Eandem tempestatis injuriam Constantinopolis jugo Turcico jam assveta pertulit anno 1490. ut violentia procellarum perierint hominum tria millia, everse fuerint ædes octingentæ, *vid. Langium in Chron. Citiz. hoc an.*

V. Nec nostra Germania ab ipsis libera fuit calamitatibus. Sola enim id loqui potest Civitas Dordracena, cui anno 1421. imbres solito impetuosiores, septuaginta pagos, hominum verò centum millia eripuerunt, si credere fas est *Georgio Brünio*, quem citat *Simon Majorus Dieb. Canic. Colloq. 1. p. m. 24.* vel si in Patriam nostram oculos convertere libeat, Laubanensium in Lusatia superiori infelicitatem anno 1550. narrat *M. Fritschius Laubanus*, cujus de Meteoris tractatum edidit quidam *M. Hagius Vitebergensis*. Goldbergenses inundationes factas anno 1608. peculiari tractatu descripsit ejusdem Ecclesiæ Minister *M. David Namslerus*, ubi asserere non dubitat, visas fuisse ipsas nubes integras per montium juga descendere. Multa alia scientes prætermittimus.

VI. Certum igitur est & indubitatum, dari cataractas, videamus nunc cur dentur, & quæ illarum constituenda sit causa. Quo in loco ingenuè fatemur, incidisse nos in nubes quidem fecundas, differendæ tamen invenisse campum valde sterilem, quippe quem Phyci aut plane non calcant, aut ita saltem attingunt ut canis Nilum. Nihilominus quia quæ alibi de Pluviis disputantur, per bonam consequentiam huic quoque negotio applicari possunt, faciemus periculum.

VII. Sperlingius, si hujus rei reddere debuisset rationem, frigori quidem in media aeris regione maximam assignasset efficientiam, ita tamen ut frustra perillustratis rerum naturalium causis, ad causam primam Deiq; potentiam absolutam tandem confugisset. Id enim si non testantur Institutiones Physicæ, confirmat tamen Disputatio anno 1658. de Meteoris Aqueis sub ejusdem Præsidio Witebergæ habita, ubi sic dicit: *Fit nonnunquam ut totæ nubes uno impetu descendant &c. causam dicunt esse subitum frigus, quod adeo condenset nubes, ut non guttatim, sed totis rivis descendat aqua. At subitum frigus sæpè datur, rarò autem fiunt fragmina nubium. Et nivem potius frigus efficit, quam pluviam. Præstat præter communes causas primam illam ubiq; præsentem & operantem agnoscere. &c. thes. 6.*

VIII. Verum istud non placet. Nam ut in alium rejiciamus locum, quæ de frigore disleruntur, quis in effectibus tam naturalibus causam quærere velit extra naturæ limites? Parum profecto in suis speculationibus proficiunt, qui persuasum habent, posse in omnibus naturæ miraculis, vel per doctrinam de occultis qualitatibus, vel per refugium ad Causam primam, ignorantia remedium inveniri. Sufficit sibi natura, perfectum illud perfectissimi Creatoris opus, Deusq; à suis operibus quiescit.

IX. Aliter se expediret *Jul. Ces. Scaliger*. Nam cum nitatur hypothese, Nubes in aere suspendi vi quadam magnetica solis, id quod innuit *Exerc. 79.* ubi cometas cum stellis proximis errantes nubibus comparat soli se accommodantibus, quod etiam suum facere vi datur *Zeilerus Epist. cent. 5. Ep. 55.* Diceret, impeditam fuisse attrahendi in sole potentiam, sicut ignotum non est, vim in magnete attractivam variis modis posse suspendi, vid. *Cartes. Princ. Phil. part. 4. §. 182. seq.* Atq; istius rei vestigium apparet *Exerc. 47.* ubi asserit, absentia solis longiores fieri imbres atque diuturniores, abesse nimirum siccitatis autorem.

X. Neq; ista arridet responsio, quod ab hypothese procedit minus universalis. Si enim Nubes à Sole conservantur in aere, cur nocturno tempore eadem facilitate ibi librantur? cur absente sole, à cataractis securi esse possumus? Imo cum de Magnetica virtute sermo habetur, non incommodè se offert locus *Cabei Comment. in Meteor. Arist. lib. 1. text. 46. quæst. 13.* Meritò sane, inquit, deridendi ille, qui ad incognitum asylum
igno-

ignorantia, ad magneticam confugient vim, & ubi aliquid difficile insonuerit magneticum implorant auxilium.

XI. Robertus Flud, in Academia Oxoniensi non ita pridem, Doctor Medicus, aliis argumentis suum explicaret animum. Is enim ex solo & nudo aëre generari nubes asserit, qui spirantibus adversus se invicem ventis comprimatur ac condensetur. Audiamus ejus verba quæ extant in *Phil. Moysaicâ sect. 1. lib. 5. c. 5. Aër integram cœlorum cavitatem implens, & per consequens Mundus sublunaris & Elementum Catholicum haud injuria dicendus, cogitur violenter coram venti unius spiramine movere ac fugere: Sed in suo motu sive fuga à vento priori tum situm natura contrario, utcunque viribus imbecilliori impeditus per assiduum partium appositionem & compressionem concrescit & coagulatur paulatim, à substantia aërea in nebulae vel nubis consistentiam &c.* Porro productus in aëre nubes, à ventis sustineri & sine fulcro conservari affirmat, id quod patet ex *Ejusdem Meteorologia Cosmica sect. 1. part. 4. part. 2. lib. 4. membr. 1. cap. 18.* ubi testimoniorum Biblicorum copiam non exiguam pro sua sententia in medium profert. Statueret igitur subtrahi interdum, jubente ita Deo, ventorum cohibentium vim, nubesque sibi in tenui aëre relictas, necessario ob gravitatem ad centrum tendere ac corruere.

XII. Sed quemadmodum nobis persuadere non possumus, ex aëre compresso gigni aquam: Cur enim istud non accideret in foliis aliisque instrumentis pneumaticis: ita multo minus credere velimus, ventos solos in aëre nubium esse sustentatores. Istud quidem libenter concedimus *Kypero Instit. Phys. lib. 11. cap. 2. n. 3. §. 2.* Ventis compellentibus nubes in unum gigni pluvias: concedimus *Cartesio Meteor. cap. 4.* ventos aliquid conducere ad elevationem & depressionem nubium. Imo ipsi *Roberto* credimus, ventos & afferre & depellere posse nubium materiam; Nec adeo impossibile iducimus aërem resolvi posse in aquam, quippe si verum est aquam redigi in aërem, quod experimento egregio demonstrat *Cartesius Meteor. cap. 4.* quis adeo pertinaci sit animo, ut negare velit regressum? Exinde tamen nunquam evinci possunt, quæ thesi superiori continentur. Ante omnia vero Autor jam dictus insigni laborat vitio, quod nihil in Philosophia statuere audeat, cujus confirmationem singulare aliquod scripturæ dictum non suppeditaverit. Et hinc quæ à Davide, Jobo aliis-

aliisque tanquam flosculi Poëticæ ac Oratorii insperguntur, pro fir-
missimis & primis Philosophiæ principiis vindicare non dubitat.
Quasi hunc Spiritus Sanctus in tradendis Bibliis sibi proposuisset fi-
nem, ut res, quæ vel sola indagari possunt ratione, tam operosè ma-
nifestaret.

XIII. *Zanchius oper. sex dier. lib. 3. de Pluv. thes. 4.* nubes fri-
gore congelatas, accedente calore rursus liquefieri, inque pluviam
resolvi statuit, asseclamque agnoscit *Magirum Phil. Perip. lib. 4. cap.*
6. Sicigitur sine dubio philosopharetur, magnam & insolitam caloris
vim irruisse in nubes, easque uno impetu in aquam redactas, conjun-
ctis fluctibus sese deorsum præcipitasse.

XIV. Est tamen quod hic etiam displicet. Non enim appa-
ret, cujus agentis beneficio calor ad nubes accedere possit. Pona-
mus Solem ad istas destinari operationes, quis credat, in media aëris
regione à radiis solaribus nubes liquefieri, cum in excelsis montibus
idem non contingat nivibus cælo vel apertissimo objacentibus? In
Fulminibus etiam ignis est, qui pro sua violentia quamcunque glaci-
em resolvere posset; quid autem si absque fulmine orientur pluvix?
Tandem in vaporibus, ex quibus consistit nubes, calor fuit, is tamen
aut valde debilis est, aut quia secuta fuit congelatio, penitus expiravit.

XV. Hi quod assignabant calori, alii contra frigori tribuere
conantur, inter quos *Kircherus, Mundi subterr. lib. 4. sect. 2. cap. 11.*
& Schottus Physicâ Curios. lib. 11. cap. 27. §. 1. ubi contendunt, ob defe-
ctum radiorum reflexorum Solis, & nimiam aëris frigiditatem con-
densari nubes, compactasque in aquam abire. Quibus ferè videtur
accedere *Jesuita Cabeus Commentar. in Meteorolog. Arist. lib. 1. text. 47.*
quest. un. nisi quod refrigerationem vaporum in principio potius in-
trinseco quam extrinseco ponit, ita enim dicit l. c. *Dum humiditas*
aquæ attenuatur vi caloris, & in vaporem deducitur, adducitur ad statum
non sibi connaturalem. Illa enim humiditas non libenter manet sic atte-
nuata, vimque illi infert calor ille, qui se illi insinuat, quare calor ille statim
incipit sponte recedere, quippe qui non est in subjecto sibi connaturali &c.
Cartesius cap. 6. causis jam nominatis ventos quoque in superiore aë-
re accenset, qui nubium depressionem causare possent.

XVI. *Conimbricenses in Meteor. Arist. tract. 7. cap. 1.* cœlestes
influxus, certasque siderum constellationes observant; ista tamen, si
quæ

quæ istius doctrinæ fides est, potius ostendunt quomodo nubes initio nanciscantur materiam, quam ut nos de earundem resolutione certiores possint reddere. Sed ne simus prolixiores in enarrandis aliorum sententiis, quam in stabilienda nostra, quid directè sentiamus, brevibus explicandum erit thesibus.

XVII. Dicimus I. *Vapores calore Solis attenuatos, vel calore se- cum allato jam tenues, surgere in altum.* Nam cum ad eorum provocationem plurimum faciant ignes subterranei, quibus à Creatore sapientissimo datum est officium, ut dormientem quasi in terræ visceribus naturam, continuis motibus concutiant & excitent; semper opus non est, ut radii solares fixam & terrestrem materiam à vaporibus separent, sed si calore sufficienti jam imbuti sint, absque adminiculo evolare poterunt, id quod in aqua calida, infimo, in fumo aliisque apparet exemplis. Atque istud calori, qualitati maximè activæ potissimum ascribi debet, quippe qui congregando homogenea & separando heterogenea, res è diversis materiis eductas, quales sunt vapores, non potest non ad raritatem reducere.

XVIII. Dicimus II. *Vapores in aëris regionem mediam evehos nubem constituere.* Invisibiles enim antea, nunc aliquam nanciscuntur crassitiem, reddunturque visibiles, atq; hoc duabus ex causis contingit: primo quidem ipsi vapores, quia ob naturam aqueam ad frigus libentius inclinant, quam ad calorem, postquam reflexos solis radios effugerunt, nulloque agente extrinsecus ad conservandum calorem compelluntur, id quod naturale non erat respiciunt & sicut videmus in aqua calida, ad frigus nativum se revocant: Altera causa in ipsum rejicitur aërem, qui quoniam reflexione solari non attingitur, frigidior est, qualitatemque suam rebus vel renitentibus, multo magis inclinantibus imprimere conatur, sicut hiberno tempore, cum omnia rigent frigore, prodeuntes in respirationibus animalium vapores, statim condensantur, & si locum inveniant, in pruina rediguntur.

XIX. Dicimus III. *Nubes jam constitutas propria levitate in aëre sustineri.* Licet enim dicamus ex condensatis vaporibus esse nubium originem: illa tamen condensatio in ordine ad vapores leviores & rariores saltem intelligenda est. Ut autem thesin jam adductam probeamus, notetur, quod si corpus stet naturaliter, hoc est, nul-

la externa vi detineatur supra aut infra aliud, non proveniat ex alio, quam præcisè ex gravitate, non absolutè spectata, sed ex gravitate collata cum corpore illo cum quo de jure litigat, quod NB *data paritate molis* sit gravius aut levius illo. Atque hæc est ratio, cur lignum centum librarum aquæ vel unius libræ innatet. Si enim ponas aquam unius palmi quaquaversum h. e. cubum palmarem aquæ, & ponas cubum æqualem ligneum, cubus ligneus erit levior cubo aqueo. Sic etiam Olei decem libras vel unicæ aquæ uncia supernatare videas, quia data paritate molis oleum aqua levius est.

XX. Cum igitur Substantia Nubium tam gravis non sit data paritate molis, quam ipsius aëris, quis non videt, istas inclinatione maximè naturali in tractibus superioribus retineri. Duæ tamen magni momenti quæstiones nobis hoc loco videntur facessere negotium: primo quæ sit aëris gravitas, deinde quæ nubium minor levitas. Ad utramque breviter respondeamus. Aërem habere aliquam gravitatem, negari non potest. Videmus enim pilas coriaceas, si in ipsis per copiosam inspirationem augeatur & condensetur aër, fieri graviores, imò non est machina pneumatica, quæ idem demonstrare non possit. Nubes autem quæ nihil aliud est quam aqua valde rarefacta instar spumæ alicujus, non sine insigni levitate concipi debet. Posito enim quod aqua in sua naturali gravitate decuplo pondere superet aërem, tamen si plus quam decuplo rarefiat, cubus aeris palmaris, cubum aquæ rarefactæ palmarem sine omni dubio superat. Nec est, quod nobis objicere velit aliquis opacitatem nubium, quæ omnium confessione & experientia teste major est quam aëris. Nam opacitas non demonstrat densitatem aut gravitatem, quippe si istud procederet, sequeretur aquæ spumam, quæ est opaca, graviolem esse aqua ipsa, quæ est diaphana.

XXI. Dicimus IV. *Nubes tandem, vel ob frigoris instantiam, vel ob ventorum conspirantium vim, vel ob ipsam vaporum propensionem, magis magisque compactas, loca infra aërem appetere.* Omne enim grave tendit descendere infra corpus se levius. Tres autem plenariæ compactio- nis dedimus causas: primo quidem frigus, quod quia facultatè habet astrictivā & obstructivam, facilè & homogœna & heterogœna in unū corpus cogere & compingere potest: Deinde aliquod momentum ventis inesse dicimus. Isti enim in res leves grande habent imperium, easque

easque suo lubitu hinc inde versare solent, imò cum moribus contrariis incedunt, materias sibi obvias aut ad latus propellunt, aut si evagandi locus non datur, arctius comprimunt & constipant: Tandem ad naturalem quoque respicimus propensionem. Nam nihil in tota rerum universitate reperitur, quod non appetat sui perfectionem, & suas vires pro ejusdem acquisitione non profundat. Jam autem aqua rarefacta, per violentiam caloris extrinsecè advenientis, majorem sibi que magis convenientem in reiterata compactione perfectionem rursus quærit, dataque occasione quam arctissime complectitur. Et hinc materia pluviarum, quæ in terræ superficiem non sine singulari utilitate se explicant.

XXII. Dicimus V. *Ob partes Nubium heterogeneas, totas simul in aquam abire non posse.* Statuimus quidem thesi superiori, eam esse frigoris potestatem, ut congregare queat & homogenea & heterogenea. Sed ista intelligantur de heterogeneis, quæ aut simul possunt frigefieri, aut nunc æquale habent temperamentum: nam quæ de partibus nubium diversis dicimus, ea in respectu ad calorem dicimus, ita ut sensus sit, aliquam vaporis portionem altera esse calidior, & vel citius vel tardius ad recipiendam frigiditatem accommodari posse. Idque patet si vapores ex ipsis fluminibus assurgant, propiores esse frigori, quam si ex lacubus putridis fimetisque calidis eleventur. Quare istam qui perpendit diversitatem, mirari nequit, cur pluvix in tot guttas se distinguant, nec plenis fluminibus totam molem deturbent. Agnoscat enim successivam aquæ compositionem.

XXIII. His præsuppositis, cataractarum processum sine omni difficultate delineare, causisque naturalibus ascribere possumus. Sicut enim, ut supra dictum, heterogeneæ nubium partes impediunt, quo minus integræ una vice in pluviam abeant, ita hoc loco dicendum, forte fortuna vapores sibi valde similes & calore æquè forti aut debili præditos, sive è terra prodiisse, sive ventorum flatibus undique collectos fuisse. Nam hoc in casu æquale frigori in omnes partes competit jus, æqualis etiam tam ad frigiditatem quam ad compactionem fuit propensio. Igitur secuta fuit maximè necessario simultanea conversio in aquam, & ob gravitatem molis, conjuncta in terram præcipitatio. Nec obstat, si nos impugnet quis: fieri vix posse ut
in

44
119
160
in tanta rerum diversissimarum permixtione, qualem rerum natura ubique exhibet, tam stupenda copia homogeneorum confluat. Exinde enim ipsi concludemus, eam esse causam, cur tam raro, & unius seculi spatio vix aliquoties talia contingant fragmina.

XXIV. Si vero interroget aliquis, cur aquæ istæ cum horrendo impetu non solum decidant, sed etiam facto per campos pervios itinere nihil non illæsum & irruptum relinquunt? Respondemus in altitudine nubium istam vim esse sitam. Nam corpus grave, quo altius decedit, eo majorem & celeritatem & gravitatem acquirit. Non quidem amplectimur impræsentiarum *Cardani* opinionem *lib. 17. de subtil.* qui omnes nubes ultra 500 passus elevari contendit, nam easdem interdum montibus humilioribus adhærere conspiciamus: Credimus tamen certoque nobis persuademus, ad cataractæ productionem requiri altitudinem non contemnendam, quippe ubi frigus suum dominium liberè exerceat, radiorumque solarium reflexio penetrare non possit.

XXV. Augetur postea impetus, quod fluctus in terram expositi depressiora sequuntur loca. Quid enim istud ad rapiditatem conferat, in fluviis violentioribus manifestum est, quemadmodum de Danubio Autor *Hypotheseos Præ Adamitice part. 1. lib. 4. cap. 8.* differit, ejus fontem integro milliari esse excelsiorem, quam ora Ponti Euxini, ubi se exonerat. Atque eodem teste Garumna Galliæ fluvius, quem Aufonius rapidum dixit, ita suos alveos deprimit, ut facta Geometræ non incelebris exploratione, centum perticis emensis, una pertica declivitatis fuerit intercepta. Sed brevitatis studium Benevoli Lectoris sedulitate abuti prohibet, quare pedem figimus, Deoque pro concessis viribus decentes deferimus gratias.

T A N T U M !

~~DE CATARACTARUM DISQUISITIO~~
DE cataractarum disquisis origine, WEISI;

Eloquii unde venit dic cataracta tui? † *Pier. Hier.*
Læserunt illæ patriam stragemq; dederunt; *rog. l. 38.*

Afferat hæc Zittæ commoda multa tuæ. *c. 22.*

D. Johannes Ittigius, Phys. P. P.
Academiæ p. t. Rector.

F I N I S.

Wanz

Q.K. 357, 3b.

CA

FRAG

In Ad

M. C

JOH

ad

CTIS

BIUM

abunt,

Weise /

Weise


VI.



Q 22



T. 209



Kodak

LICENSED PRODUCT

3/Color Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Inches

Centimetres

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue